



B. 209.



41
12

ORATIONEM
IN MEMORIAM
VIRI QUONDAM PERILLUSTRIS
CASPARIS CHRISTIANI
SELIGMANNI

A. D. XVI. DECEMBRIS
HORA IX. ANTEMERIDIANA
HABENDAM
INDIXIT
AD EAMQUE BENEVOLE AUDIENDAM
FAUTORES NOSTRI GYMNASII
HUMANISSIME INUITARE

AUSUS EST
M. AUGUSTUS FRIDERICUS GUILIELMUS RUDOLPH

PARTICULA VII.
DE IUU. AD. V. AC. MAT.
DE QUALITATE SCIENTIÆ. I.

ZITTAVIÆ, LITERIS GOTTLIEB BENIAMIN FRANKII.

Sed non in numero doctrinarum solo hic amor conspici debet, verum etiam in *qualitate* scientiæ; vt qui in academiam transire maturus velit, eum arbitrer claræ, definitæ ac digestæ cognitioni ita debere esse adsuefactum, vt obscuræ, vagæ atque confusæ recte dicatur impatiens. Qui enim hac amoris siue parte siue efficacia caret, non scientiam sed vocabula amat, nec scientiam suam qualemcunque transferre ad vsum potest. Sed accuratius videndum, quam vim hæc habeant, et necessaria esse doctis, et in scholis paranda.

Ac scientiæ et intelligentiæ rei hunc video terminum poni a nonnullis, vt rem putent intelligi ab eo, qui aliis verbis eloqui eam possit. Sed hoc ad vulgarem cognitionem fortasse sufficit, ad doctam ne verum quidem est. Nam si vere dicitur, quod ratio suadet, rem non nisi vno modo aptissime optimeque dici posse: elocutionis variatio non tam accuratam perceptionem indicat, quam minus accuratam, in qua subtiliora discrimina negligantur, arguit. Præterea si quis varias eiusdem sententiæ formulas, quas edidit, pfitenti more recitet: per se patet, eiusmodi repetitionem intelligentiæ argumentum esse nullo modo posse.

Quum autem Logicorum, qui de obscura, clara, confusa, perspicua et distincta cognitione præceperunt, magna sit in sermonis vsu et explicationibus discrepantia: meam viam ingrediar, quæ si minus ad ipsius rei philosophicam explicationem pertinuerit, ad finem certe nostrum visa est accommodatissima.

Quum igitur bipartita sit omnis humana cognitio (*Kennnißs*), vt partim sensuum ope paretur, partim sola mente comprehendatur: istius quidem virtutem et præstantiam in *claritate* seu *euidentiâ* pono; huius vero in *definita notarum communium et propriarum* (generis proximi et differentiæ specificæ) *scientiâ*.

Evi-

Evidentia autem, quemadmodum Græcorum *ἐνάργεια*, quum duplicem habeat significatum, propter rei ipsius cognationem & copulationem sæpe confusum, ut non modo de luce dicatur, in qua res quædam animo præsens est et cernitur, vel auditur, vel alio sensu percipitur; sed etiam de animi persuasionem, qua enunciatio aliqua vera esse *apparet*, et tamquam sentitur: hac significatione omiſſa, illam nunc cogito; quæ, quum illud afferat animo, quod non sola mente cogitari queat, sed ipſo sensu et experimento cognosci debeat, non potest certa quadam definitione comprehendere & doceri, sed descriptione quadam et indicio significari debet et indicari. Atque ad sentendam hanc claritatem satis nos adduxerunt CARTESIUS & LOCKIUS, quorum ille in *Princ. Philos. P. I. §. 45. p. m. 12* perceptionem eam claram vocat, *quæ menti attendenti præsens & aperta est; sicut ea clare a nobis videri dicimus, quæ oculo intuenti præsentia, satis fortiter et aperte illum mouent*; hic vero de *Int. hum. L. II. c. 29. § 2 & 4.* clarum conceptum (intuitionem rectius dixisset) ita descripsit, ut clarus sit is, qui talis in mente et memoria asseruetur, qualis a re ipsa externa in sensu sano et mente ad rem attendente efficiatur. Quam quidem descriptionem non reprehendisset Clariss. POLEY in versione istius operis pag. 372. si ipse Lockius satis distinxisset, quæ sensu et quæ ratione percipiuntur, atque in explicatione notionis perspicuæ feliciter fuisset versatus.

Huius igitur evidentie studium in homine docto requiro, ut quæcunque res sensuum ope hominibus innotuit, aut eam ipsam suo sensu percipere et contemplari, aut evidentem eius imaginem e descriptionibus et simulacris phantasiae auxilio componere sibi studeat; nihilque negligat, quod hanc claritatem adiuuet; ut omni occasione videndi, audiendi, reliquisve sensibus res cognitu dignas percipiendi, utatur; ut res aut ipsas aut delineatas et pictas, aut alia quadam arte effectas non modo totas contempletur, verum etiam singulas earum partes sua in mente deformat et describat et asseruet. Quod quidem studium, cuique a natura insitum, tam parum puerile doctoque homine indignum iudicari debet, ut potius omnis reliqua scientia ei, tanquam fundamento solido, debeat superstrui; cui studio qui non valedixit non facile

eo delabatur, vt vocabulorum valde generalium inani subtilitati se tradat, ac mirum se et admirandam putet, si proferre in medium possit, quæ nemo mortalium intelligat. Sed hæc ipsa putauerim esse euidentia, vt longa disputatione opus non sit,

Difficiliorem explicationem habet virtus earum notionum, quæ sola mentis acie cernuntur. Experiar tamen, veniam petens et sperans, si forte, sine duce viam ingressus, in errores et salebras inciderim. Duces certe, quos sequi potuissem, non temere reliqui. Nam, quum non inde proficiscerentur, vnde in tali re videtur exeundum, factum est, vt in alienas regiones (in cognitionem sensu percipiendam) exspatiarentur, ac ita longo interuallo seiuncti, admodum diuersi incederent.

Etsi igitur minime nego, res et materiam non modo a rebus externis, verum etiam ab ipso animo nostro ex se suppeditari et subiici cogitationibus: constanter tamen id affirmandum puto, quod doctum diuersarum linguarum studium quemque docebit, huius materiæ separationes et in vnum conceptum comprehensiones ab eo sermone pendere, quo in cogitando utimur, ac pro linguarum diuersitate esse diuersissimas; idque olim in dissertationibus *de philologia philosopho necessaria*, pluribus exemplis illustraui, quum videantur esse, qui hoc, etsi non negent, parum tamen curent. A lingua igitur et vocabulis, ad quorum vsum notiones in mente comprehenduntur, exeundum putavi, atque ab his initiis ad summam cogitationis virtutem ascendenti hi potissimum gradus apparent.

Eos igitur, qui nec vocabulum audiuerunt, nec rem vocabulo indicatam vnquam cognouerunt, plane non curabimus. Sed *primo in gradu* constituamus eos, qui vocabulum audiuerunt, sed eius vim, potestatem, vsum ignorant. Esse possunt in his, qui *rem* vocabulo indicatam viderint, aut alio quodam modo eius formam aliquam in mente sua expresserint; sed vt *in secundo gradu* eos colloceamus, requiramus ab iis, vt vocabulum quoque ad hanc rem transferre, eoque uti possint. Ab hoc genere tamen diligentiam et

moro-

morositate philologorum, et omnis usus vocabuli scientiam, haud exigamus. Nam, si quem in iis inuenerimus, qui aut omnes res vocabulo indicatas, aut (si hoc propter infinitam multitudinem fieri ab homine non possit) omnia certe harum rerum genera nouerit, et nominare possit, qui praeter ea, fines huius usus emensus, ea quoque separare possit a reliquis non ita vocatis, eum *tertio in gradu* ponendum putabimus. Hunc talem Logici paucis hic verbis describerent; *cui omnis notionis ambitus innotuit*, ambitum notionis vocantes eas res, earumque rerum numerum, quarum notæ communes ipsa notione contineantur. (*den Inhalt des Begriffs ausmachen.*) Mihi vero non licuit tam breui esse; nondum enim dici poterat de notione et cogitatione *una*, quæ vocabulo adiecta sit, (ne forte notionem anticipemus, et ibi quoque inueniamus, vbi nulla vere reperiatur) sed tantum de usu vocabuli. Sed vt reliqua etiam scientiæ discrimina satis indicare possimus, in mentem horum hominum altius descendendum est, vt, quid ei insit, propius videamus.

Constituamus igitur aliquem, qui *ab usu* satis sit edoctus, quam late *hominis* vocabulum pateat, vt nec hominem vocet, qui homo non sit, (i. e. nominetur) nec quemquam, qui homo sit, (vocari solet) non ita nominet. Quid huius menti inest? Logici a Leibnitio profecti respondent: *idea clara*; qua in responsione eorum ipse etiam acquiescerem, nisi admodum ambigua esset, et contra sermonis consuetudinem res diuersissimas comprehenderet. Comprehendit enim 1) *claritatem* seu *evidentiam* repræsentationis sensualis (*αισθησεως*) in qua lux et imago quædam rei facit, vt rem a reliquis rebus secernamus, quæ quidem sermo clara vocat. 2) Certam usus vocabuli appellatiui scientiam, quæ potest esse sine scientia notarum omnibus rebus, ad quas vocabulum transfertur, communium et propriarum, in qua sola *memoria* facit, vt rem a reliquis rebus discernamus, quæ contra sermonis Latini et nostri usum clara vocantur. Hoc quale dicam, ita magis apparebit. Qui hominem a reliquis naturis sub aspectum cadentibus discernunt, eorum plurimi non *vnam* quandam notionem *sola mentis ope informatam*, quæ sit *definitionis materia*,

sequuntur, sed euentem hominis imaginem oculis acceptam. Hominis simulacrum obuerfatur animo, ac homo a reliquis animantibus et rebus eodem modo discernitur, quo discernuntur colores inter fe. Quodfi quis horum cogatur indicare, quid homo fit? nec ei concedatur, vt cum Epicuro hominem digito monfret: aut ad *descriptionem* fe conferet, vt nobis, quoad poffit, tanquam aliquis naturæ hiftoricus, hominis imaginem verbis adumbret; aut *genera* feu formas hominum recenfebit, et mares atque feminas, albos, flauos, nigros etc. afferet. In huius animo igitur eft *cognitio vocabuli, euidens rei indicatae imago, et formarum feu fpecierum fcientia*. Cum hoc exemplo aliud componamus, ex altero genere fupra indicato. Quid fuit Romæ *magiftratus ordinarius maior*? quis ita *vocabatur*? Qui refpondere potefte: confules, prætores & cenfores hoc titulo ab ædilibus curulibus, a tribunis et ædilibus plebis, a quæftoribus et reliquis magiftratibus minoribus feiungebantur; fatis tenet vfum vocabuli, et rectius quam aliqui doctorum; fatis is potefte magiftratum ordin. maiorem a minori difcernere. Habet igitur *claram* notionem fecundum Leibnitianos, fed quam diuerfam a præcedenti! Neque enim vlla fensus euidencia eum potefte in difcernendo adiuuare, quum nulla omnino fit et efle poffit, fed fola *memoria* eius, quod a magiftro quodam aut auctore rem obiter attingente accepit. Quid igitur eft in mente eius, qui hæc fciat? Equidem quid præter *vocabuli ipfius notitiam*, ac *fingularum dignitatum* (confulis, prætoris, cenforis) cogitationem in mente eiusmodi hominis ponam, plane nihil reperio. Nam quidquid vere in mente eft, et cogitatur vel cogitatum et memoria comprehenfum eft, id quoque potefte proferri; fed ifte homo nihil præterea proferet, nifi forte obftetriciis interrogatiunculis, eo fuerit perductus, vt agitatione mentis e *parata fcientia nouam* eliciat et efformet. Scilicet, vbi Logici *confufam* quandam ideam inueniffe fibi vifi funt, ego plane *nullam* video et agnofco. Neque enim vlla aut idea ineft, aut confufio; nec quidquam cogitatur præterea; nifi forte ea quoque cogitamus, quæ nefcimus; nec quidquam confunditur, nifi forte ea confundimus, quæ diligenter difcernimus. His

His disputatis altiores scientiæ gradus eorumque discrimina spectabimus. Quorum igitur mens præter vocabuli notitiam, et rerum, de quibus adhibetur, scientiam, ac, si res sit sensibus subiecta, præter evidentem quoque eius imaginem, nihil contineat, quod proferri et explicari verbis possit, iis omnibus in tertio gradu isto relictis, in *quartum* eos solos admittamus, quos animi sui solertia non patitur in hoc scientiæ modulo acquiescere, qui potius anquirunt, quid rebus vno vocabulo nominatis ita commune sit, ut eo a reliquis rebus, ambitu vocabuli (non dico notionis) haud comprehensibilis, fecernantur; qui igitur *novo* hoc cogitationum genere mentem suam *locupletare*, ac novam hanc scientiam scientiæ iam paratæ et promptæ *addere* conantur; quæ nova cogitatio nec extrinsecus, e nouo quodam sensuum testimonio, aduocatur, nec ex se ipsa explicatur, sed e paratæ in animo scientiæ componitur; qua non nouum quoddam momentum ad claritatem representationis rei confuse cogitatæ vel ignotæ accedit, sed nouæ rei (complexionis notarum communium et propriarum, generis proximi et differentia specificæ) cogitatio in mente oritur et paratur; qua rem (vsum nempe vocabuli) melius scimus, non quod notio aliqua magis ex se ipsa explicata & illustrata sit, sed quod *plura* scimus ad hanc rem pertinentia; ita, ut nulla sit notionis alicuius enucleatio et explicatio (analysis) sed *addendæ* nouæ rei ex paratæ scientiæ compositio et efformatio.

In hoc igitur gradu collocatus non acquiescit in eo, ut figuræ vel speciei ope hominem a reliquis animantibus discernat, aut sciat *quinam* et *quot* magistratus maiores fuerint; sed inuestigat istarum rerum notas, quæ iis communes, sed etiam solis communes i. e. propriæ sunt, ac sola mente percipiuntur. Anquirunt, quo in genere quidque ponat, et quibus notis a reliquis, eodem genere comprehensibilis, discernatur.

Sed hoc in negotio varie labi possumus. Nam *primo* in eo est labendi periculum, quod harum notarum enumeratio facile ab vfu vocabuli non satis considerato discrepat, et aut *plura* comprehendit (velut si quis hominem

nem

nem dicat naturam intelligentem; vel magistratum maiorem, qui haberet ius imaginis et sellam curulem) aut *pauciora* (velut, si homo dicatur animans, quod ratione sua recte utatur) *Deinde* haud contemnendus est error eorum, qui illud vitium fugientes in contrarium incurrunt; qui, quum in eo elaborent, ut definitio sua vsui voculae omni ex parte respondeat, non distinguunt ea, quae synonymice dicuntur et quae homonymice, ut cum Aristotele dicam; qui in omni vsu vocabuli non distinguunt, quae vna cogitatione comprehendi possint, et quae non possint; velut, si quis definitionem quaeratur, quae in hominem pictum non minus cadat, quam in hominem viuum, et notas comprehendat, picto homini et viuo communes et proprias. *Denique* errare ii quoque videntur, qui, etsi in vocabuli vsu et definitione sua sibi quidem ipsis consent, vsuum tamen loquendi hominum fusque deque habentes, dominantur in sermone, et nouum sibi pariunt et concinnant, adeo, ut et sibi & sequacibus videantur sapientissima proferre et nouissima, reliquis vero ab omni veritate et recta ratione abhorrere.

Hinc noui gradus scientiae, quos spatium plagulae non capit.

Itaque de hac quidem materia nunc hactenus. Sed de re minus subtili futura est oratio ad memoriam *Perillustri viri CASP. CHRISTIANISELIGMANNI* habenda. Dicam enim *pro pallio discipulorum*. Res leuis iudicabitur, quae dudum proscripta est, ac semel proscripta propter indolem et morem seculi reuocari non potest; cuius tamen proscriptione male consultum videtur discipulorum rationibus. Itaque, si quorum intersit audire, quid siue pro hac re, siue pro maiorum sapientia dici a me possit: eos omnes hac schedula humanissime volui inuitare. In primis tamen has preces ad *Senatum nostrae ciuitatis amplissimum, ad Ministerium plurimum reuerendum et ad Collegas meos clarissimos* nominatim admouere volui debuique.

P. P. Zittauiae Dom. III, Aduentus CIOLOCCC.



cf 4264.8^r

ULB Halle

3

002 160 943




sb

v. 18

n. C.





B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

IONEM
MEMORIAM
AM PERILLUSTRIS
CHRISTIANI
GMANNI

41
12

VI. DECEMBRIS
ITEMERIDIANA
ENDAM
DIXIT
NEUOLE AUDIENDAM
OSTRI GYMNASII

SIME INUITARE
SUS EST
ERICUS GUILIELMUS RUDOLPH

ICULA VII.
AD, V. AC. MAT.
ATE SCIENTIÆ. I.

OTTLIEB BENIAMIN FRANKIL.